

Hic primum figuratio cœli exprimenda est, non quemadmodum antehac, Sole mediante, fecimus, quippe qui noctu sub horizontem raptus foramina regulæ maioris nequit illustrare, interdiu autem stellas cæteras quo minus oculo inspectoris cernantur prorsus obscurat. Verum alia uia gradiedum est: Sole itaq; prope Occidentem constituto formam cœli effinge, sicuti antea traditum est, locusq; Solis in signifero Aequinoctiali animaduersus, cui gradui Aequinoctiali adiaceat perdisce, & simul horarum ponderale perquam uerissimum, quod minutias quoq; horarum æqualiū enumeret, ita dispone, ut situm indicis sui pernoscas, eo articulo, quando per inspectiō nem Solis instrumentum ordinasti. Deinde post Solem occasum stellis illucescentibus, quantum temporis à consideratione diurna effluxerit, per indicem horarum explores, & pro quartis minutis horæ singulos gradus Aequinoctialis à nota superius iuxta locum Solis animaduersa accipe: ad finemq; talis arcus Aequinoctialis locum Solis in signifero Aequinoctiali notatum applica. Sic enim situm eclipticæ cœlestis representare conuenit, quo manente euestigio moue cristam hac atq; illac, donec centrum stellæ placitæ in plano circulî latitudinis constituatur, & simul stella tota per foramina regulæ minoris eleuatæ, uel depresso, ueluti res ipsa postulat, cernatur. Tunc enim regula quidem longitudinis extremitate sua, quæ aduersus stellam protenditur, in signifero ecliptico locum stelle secundum longitudinem monstrabit. Regula autem latitudinis stellæ latitudine in prodet, siue Aquiloniam, siue Austrinam, prout terminus eius, ad stellam cōuersus, admonet. Verum si paucus curiosius operari libeat, motum Solis augeri oportebit, secundum quantitatatem temporis medij inter duas considerationes, pro hora uidelicet æquali duas minutias, & dimidiā fermē unius gradus ad locum Solis addendo. Porro si rudiori quadam obseruatiuncula contentus esse uelis absq; adminiculo horarij ponderalis propositum attinges hoc pacto: Sole ad occasum uergente locum Lunæ uisum ex præcedenti collige. Postea au-

c tem